



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Perfectionibvs Moribvsqve Divinis Libri XIV

Lessius, Leonardus

Antverpiae, 1620

Liber V. De Omnipotentia Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46817)

DE
PERFECTIONIBVS
MORIBVSQVE
DIVINIS
LIBER QVINTVS,
DE OMNIPOTENTIA DEI.

SVPERIORIBVS quatuor Libris breuiter actum est de quatuor perfectionibus diuinis quæ circa ipsam essentiam instar modorum concipiuntur: sequitur nunc vt agamus de illis quæ concipiuntur instar qualitatuum, nec tamen inuoluunt respectum ad creaturas vt existentes; quales sunt maximè istæ quatuor, Potentia, Sapientia, Bonitas seu Perfectio, & Sanctitas, de quibus agemus quatuor Libris sequentibus.

CAPVT PRIMVM.

Deum esse omnipotentem.

OMNIPOTENTIA Dei plurimis locis traditur à Scripturâ diuina. nam plusquam 70. locis vocatur *omnipotens*. Idem multis aliis locis difertè asseritur, vt Matth. 19. *Apud Deum omnia posibilia sunt.* Marci 10. *Omnia posibilia sunt apud Deum.* & c. 14. *Pater, omnia tibi posibilia sunt.* Luc. 1. *Non est impossibile apud Deum omne verbum.* Idem patet ex Symbolo: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem,*

H 3

tentem,

62 *otentem, creatorem celi & terrae.* Estque hic articulus fundamentum nostrae Religionis, cum praecipua eius dogmata eo nitantur, ut dogma de creatione mundi, de eiusdem conseruatione & gubernatione, mysterium Inarnationis, Eucharistiae, Resurrectionis, Visionis beatificae, & similia.

Idem colligi potest ratione. Primò, Ex eo quòd totum hoc vniuersum omnia rerum genera complectens fecerit. Vnde euidenter patet, illum alia similia sine fine efficere posse. sicuti pictor, qui vnã formam potest excellentissimè depingere, potest etiam quasuis alias quas animo complecti potest: & architectus, qui vnã palatij ideam potest animo concipere, & opere exhibere, potest etiam ~~alias~~ *quasuis*.

Secundò, Ex modo faciendi, tum ex parte actionis, tum ex parte termini. Ex parte actionis, quia summa facilitate, nimirum solo verbo & iussu. *Ipsè enim dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt.* nihil facilius verbo. Hæc summa facilitas, signum est summæ potentiae, ac proinde omnipotentiae. Ex parte termini; quia ex nulla materia, sed ex nihilo: quod numquam Philosophi potuerunt vel animo concipere. Quare & ex hac parte, eius potentia limite caret. Ex parte enim formæ, res in infinitum multiplicari possunt: ut si architectus posset extruere domos sine materia, vel ipsam materiam primitus excitare, nullus posset eius arti statui terminus: nam sine fine plures & plures domos posset extruere. Quòd enim plures nequeant fieri, defectu materiae prouenit. Est igitur hoc signum euidentis omnipotentiae. Nec enim maior fingi potest, quàm quæ totum ex nihilo facit. Confirmatur, Quia quòd res longius distat ab esse, eò maiore opus est potentia ut trahatur ad esse: atqui longissimè distat ab esse, quod non latet in potentia materiae, sed in puro nihilo, solaque potentia obiectiua; ergo opus est maxima potentia, quæ sola est omnipotentia.

Tertiò colligitur ex infinitate essentiae: potentia enim sequitur essentiam. Nam vel est ipsa rei essentia, considerata ut est effectiua; vel quiddam sequens essentiam per modum naturalis proprietatis. Ergo cum essentia sit penitus infinita, potentia quoque omnino infinita erit: sunt enim hæc inter se commensura.

Quartò, Ex participabilitate essentiae. tanta enim est potentia, quanta est essentia in ratione participabilis ad extra: sed essentia infinitis modis est participabilis seu imitabilis, idque secundum singulos gradus rerum, qui sunt, esse, viuere, sentire, intelligere. ergo poten-

Psal. 148.

potentia est infinita. Vide S. Thomam l. 2. contra Gentes c. 22. vbi similes aliquot rationes eleganter adducit.

Quintò, Ex ratione sapientiæ. quia tanta est potentia, quanta est sapientia. Quidquid enim per suam sapientiam potest concipere vt operabile, per suam potentiam potest efficere. sicut perfectus pictor, quidquid potest imaginari, potest exterius depingere. Atqui infinitas rationes, & species rerum infinita illa sapientia concipit: ergo potest omnes illas producere.

CAPVT II.

Quædam consuetudina Omnipotentia diuinæ.

4 Ex his sequitur primò, Deum posse omnia efficere per seipsum, quæ potest per creaturas. Omnes enim vires & facultates quæ sunt in creaturis, sunt ab ipso, & in ipso eminenter existunt. Cum igitur ipsius potentia omnem creaturæ potentiam eminenter contineat; omnia potest, quæ omnis creatura potest, idque modo longè perfectiore.

Deus potest per se facere quidquid per creaturas.

5 Sequitur secundò, Cum Deus dicitur *omnipotens*, & *omnia posse*, &c. id omnia non solum designare ea quæ sunt reipsa, aut quæ ab his fieri possunt; sed omnia absolute, quorum conceptui non repugnat esse; qualia sunt omnia, non solum quæ à mente humana & Angelica, sed etiam quæ ab ipsa Dei sapientia infinita concipi possunt. At hæc quàm sunt infinita? quàm mirabilia & exotica, & omnem captum mentis humanæ & Angelicæ excellentia? Quàm mira & multa sine termino fingit mens humana? quantò mirabiliora & peregriniora, & plura mens Angelica? sed in infinitum magis miranda & plura mens diuina? Hæc omnia solo verbo, solo nutu potest in opus explicare, & foris reipsa representare. Sicut enim diuina sapientia est regula diuinæ potentia, ita etiam nullus alius limes ei statui potest. Confirmari hæc possunt ex illo dicto Angeli, Lucæ 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*; id est, nulla res quæ animo concipi queat, aut verbo exprimi, vt Doctores passim exponunt. Vnde certissima & ab omnibus recepta sententia est, eaque fide tenenda, vel fidei proxima, *Deum posse quidquid non inuoluit contradictionem*. id est, quidquid non includit non esse simul cum esse. *Non esse enim formaliter tollit esse*, ac proinde simul cum illo stare non potest: idque aded est cui-

Potest omnia facere quæ ipsius sapientia potest extra se concipere.

cui-

euidens, vt sit principium omnis ratiocinationis, in quod omnis ratio, omnisque disputatio vltimò resoluitur, vt in Metaphysica traditur. Omne igitur conceptibile potest Deus, tam negatiuum quàm positiuum; sed negationem & positionem eiusdem simul connectere non potest: quia hæc essentialiter se mutuo tollunt.

Potest alia
facere.

Sequitur tertio, Deum præter ea quæ re ipsa fecit, posse facere alia sine fine. Primò, Potest facere alios mundos innumerabiles similes & æquales huic mundo. at quanta res est mundus iste, quàm immensa? quantus terræ circuitus & profunditas? quanta latitudo maris & aquarum copia? quanta vastitas aëris? quanta cælestium corporum amplitudo? Terra secundum veriorem sententiam Geographorum continet in ambitu milliaria 19080. vnde profunditas vsque ad centrum est miliarium plusquam trium miliarium. Cælum lunæ, vt tradunt Astronomi, distat à terra: centro miliaribus 120630. cælum solis plusquàm quatuor millionibus: stellæ fixæ plusquam 80. millionibus miliarium. tanta etiam ab his dicitur esse cæli octauæ spissitudo. vnde conuexum eiusdem cæli distat à terra plusquam 160. millionibus miliarium. Milliare voco 1000. passus, id est spatium quinque millium pedum. Quanta tunc & quàm incomprehensibilis illorum pernicitas? Sol singulis horis conficit plusquam 1160000. miliaria, id est, vndecies centena millia, & sexaginta millia, vel vt Arithmetico more loquar, vnum millionem, & centum sexaginta millia miliarium: qui etiam maior tota terra dicitur 160. Stellæ circa Equinoctialem, vt quæ in cingulo Orionis, singulis horis plusquam 42. milliones percurrunt. quis tantam velocitatem animo concipiat? Nam tanta est hæc velocitas, vt per eam intra spatium Salutationis Angelicæ septies terra circui possit. Vnde sequitur, si aliquæ stella (quarum minima ad spectu notabilis, maior est tota terrâ decuplo octuplo) in aëre tanto impetu moueretur, vniuersas vrbes & domos mox dissipatum iri, imò totum mare & montes radicitus euulsos in puluerem soluendos & accendendos, non valentes tantam vim & distractionem perferre. Supra istos cælos sunt tres alij (postiores Astronomi ex quadruplici motu Firmamenti quatuor statuunt) nimirum CrySTALLINUM, Primum mobile, & EMPYREUM, quod est sedes Beatorum, quod secundum Astronomos multò longius abest à Firmamento, quàm Firmamentum à terra. Quis ista considerans non obstupescat? & tamen has tam immensas moles Deus vno verbo fecit & formauit, & continet in natura, & ita velociter cur-

re

rere iussit: & eadem facilitate posset plures mundos & huic æquales condere. Non opus erat istis maiora considerare ad omnipotentiam Dei percipiendam, cum nec ista mens capere queat: nihilominus potest Deus longè maiora. Itaque

7 Secundò, Potest alios mundos maiores isto condere, seruata proportione singularum partium, idque sine termino: verbi gratia, vt singulæ partes sint centuplo vel millecuplo maiores partibus huius mundi, terra terrâ, mare mari, sol sole, cælum cælo; idque in quauis alia proportione sine fine. Vnde tota mundi huius machina ad potentiam Dei est instar parvæ pilæ: potest enim Deus facere mundum adeò magnum, vt totus hic mundus ad illius comparatus sit instar grani milij, & in illo tantam multitudinem Angelorum, vt hic numerus Angelorum qui modò existit, sit instar pugilli ad arenam maris.

*Potest alios
hoc mundo
maiores.*

8 Tertiò, Potest etiam facere alios mundos specie ab hoc distinctos, & præstantiores, idque sine termino. similiter Angelos specie distinctos, & præstantiores. De Angelis est ferè communis sententia DD. De mundi partibus est eadem ratio. sicut enim in spiritibus sunt gradus infiniti, cur non similiter sint in corporibus? Constat sanè esse gradus in corporibus: nam aqua præstantior est terrâ, & aër est præstantior aquâ, & inter cælos est ordo naturalis dignitatis. Quis dicat hunc ordinem sistere in supremo cælo, nec posse corpus præstantius à Deo fieri: aut non posse fieri elementa alia nostris analoga? Nullo modo dubitandum est, quin in thesauris diuinæ sapientiæ lateant & alia elementa, & alij cæli nostris analogi & præstantiores. cuius etiam signum est tanta diuersitas terrarum, liquorum, vaporum vel spirituum nostra elementa æmulantium, quæ tamè inter se specie differunt. Idem dicendum de corporibus mixtis, metallis, lapidibus, gemmis, plantis, animalibus. Quidquid autem latet in sapientia, etiam latet in potentia: quidquid enim potest concipere, potest & facere. Vnde non fecit hunc mundum & cetera quæ in ipso sunt, quasi nihil posset præstantius aut maius, sed quia hic sufficiebat ad finem sibi propositum, qui est declarare potentiam, sapientiam, & bonitatem suam; quod hic mundus tamquam specimen eximium diuinæ artis & potentiæ satis præstat. Tale enim opus tam varium, tam immensum, & in omnibus partibus suis absolutum, non potuit fieri nisi à potentia, sapientia, & benignitate infinita. Sicut pictor vel architectus, qui etiam infinita possint opera facere, tamen suffi-

*Potest alios
mundos spe-
cie distinctos*

cienter artem suam declarant in vno aliquo magno opere, si illud faciant excellentissimo modo, quo intra suam speciem fieri potest.

*Infinita in-
diuidua.
Replicationes
infinitae.*

Quartò, Potest sub singulis speciebus infinita indiuidua, & rursum singula indiuidua replicare infinities, id est, sine vllò termino. Itaque ex vno homine potest facere maximum exercitum, implere omnia regna & vrbes omnes, ex vno pilce implere totum mare, & flumina omnia; ex vna arbore omnia siluarum spatia, omnesque montes vestire.

*Modus ex-
istendi spiri-
taliu.*

Quintò, Potest corporibus dare modum existendi incorporalem & inuisibilem, vt ex augustissimo Eucharistiae mysterio constat. Itaque caelum, terram, maria cum omnibus insulis, regnis, oppidis, populis, atque adeò totum mundum potest ponere in grano milij absque vlla partium imminutione, perturbatione, aut offensione. Deficit mens ista perpendens, nec tantam sustinere potest diuinæ potentiae maiestatem.

*Possibilitas
intrinseca
remota.*

Sequitur quartò, In obiecto omnipotentiae diuinæ duplicem considerari posse possibilitatem: intrinsecam & extrinsecam, remotam & propinquam. *Intrinseca possibilitas* est aptitudo ipsius rei, seu non-repugnantia ad existendum. Eadem dici potest possibilitas remota. ratione enim huius dicitur res possibilis, etiam si non consideretur vlla potentia qua possit produci: sicut color est in se visibilis, etiam si nullus sit visus qui possit illum videre. Hanc possibilitatem habet res quodammodò à Deo, non quidem per actionem aliquam liberam vel necessariam, qua Deus rem illam in esse possibili producat (esse enim possibile quò tale, non potest esse terminus productionis, nec potest habere causam effectiuam) sed habet eam à Deo tamquam à causa quasi exemplari. Essentia enim diuina, quatenus est tali modo imitabilis & communicabilis, est ratio per modum radicalis ideæ, cur humana natura sit possibilis, & habeat tale esse obiectiuum & potentiale. Idem censendum de reliquis omnibus possibilibus. Itaque ipsa essentia est prima radix omnis esse obiectiuum, & possibilitatis intrinsecae omnium possibilium. & omne esse obiectiuum possibilium pendet ab essentia diuina tamquam à prima & originali omnium idea, à qua singula suam speciem & rationem conceptibilem in suo gradu & ordine variè limitatum habent, modo iam explicato.

*Pendet ab es-
sentia diuina*

*Possibilitas
extrinseca.*

Possibilitas extrinseca est, quam res habent ratione omnipotentiae diuinæ, per quam possunt produci, & accipere esse actu. *Extrinsecam* voco, quia non concipitur vt quid intrinsecum rebus, sed

sed vt denominatio extrinseca à potentia diuina. Eadem dici potest possibilitas propinqua : quia posita diuina potentia , res statim potest fieri , nec aliquid aliud ad eius productionem requiritur , quàm voluntas producentis.

Itaque omnia possibilia continentur in essentia diuina tamquam in originali radice, & quasi in exemplari, virtuali, & radicali: in sapientia tamquam in exemplari formali, in quo etiam existunt obiectiue modo perfectissimo & illustrissimo : magis enim ibi fulgent, quàm in suis naturis creatis. In potentia , tamquam in causa effectrice. Etsi enim hæc non distinguantur ex parte rei : tamen vt à nobis concipi possunt, necessariò illa distinguimus , & conceptibus distinctis apprehendimus.

Ex his considerationibus patet, quanta sit diuinæ potentæ magnitudo & amplitudo , cum se extendat ad omnia quæ sapientia diuina extra se potest concipere: quæ eadem omnia in ipsa essentiæ infinitate eminenter continentur.

CAP V T III.

Quis fructus huius considerationis.

12 **E**x horum consideratione sequuntur tres potissimum in nobis affectus. Primò, Maximæ cuiusdam reuerentiæ & submissionis. vnde Apost. Petrus Epist. 1. c. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis.* Quis enim cogitans suam imbecillitatem & illius omnipotentiam , non submittat se illi in omnibus , tamquam habenti in nos summum ius & summam potestatem? Sit quis maxime sapientiæ & sanctitatis, & reliquis omnibus perfectionibus ornatus , si tamen in nos nihil iuris aut potestatis habeat , non magnopere illum curamus, aut eius reuerentia mouemur: si autem summam simul in nos habeat potestatem , & pro arbitrio possit de nobis disponere , etiam si multis aliis ornamentis careat ; summam tamen submissionem & reuerentiam ei exhibemus. Exemplo sunt qui agunt cum maximis Principibus: quanta reuerentia & submissione se gerunt coram illis? Itaque consideratio diuinæ potentæ hunc affectum excitat quàm maximè.

Triples ex his affectus. Reuerentia.

13 **S**ecundò, Excitat affectum timoris. Vnde Scriptura passim commemorat diuinam potentiam eiusque stupenda opera , vt homines ad timorem excitet. & Dominus Luc. 12. *Dico autem vobis*

Timor.

amicis meis ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timeate eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timeate. Vbi ter repetit hunc timendum, idque cum noua asseueratione Ita, Græcè *καὶ*, id est, certè, profectò; indicans quantopere Deus sit timendus ratione illius potestatis. Et sanè quis non timeat eum, qui tantam pœnam potest irrogare, & aeterno tempore continuare? Intolerabilis & incomprehensibilis est pœna ignis, quam vel ob vnicum peccatum mortiferum infligit; sed hanc potest sine termino augere, pro numero & magnitudine peccatorum quæ quisque admittit. Vnde potest esse tanta, vt omnis pœna ignis huius vitæ (etiam si quis in maximo rogo, vel in ardentissima fornace nudus iaceret) mitis, blanda, imò ludus & iocus ad illam habeatur. Itaque si is qui habet vnum peccatum mortale, punitur pœna ignis, vt ex Scripturis constat; quanta erit pœna eorum qui 100. qui 1000. qui decem aut centum millia peccatorum mortiferorum habebunt? talis enim est proportio pœnarum, qualis est culparum. sicut & in præmiis ea erit proportio præmiõrum, quæ meritorum. Si ergo tuæ culpæ excedunt culpas alterius in centuplum; centuplo quoque erit grauior pœna tua: iuxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificauit se & in delitiis fuit, tantum date ei tormentum.*

Fiducia.

Tertiò, Excitat affectum fiducia. Si enim omnipotens nobis assistit, qui omnium causarum creaturarum, omnium hominum & demonum continet habenas, ita vt nec in minimum motum possint absque eius nutu emicare; cur timeamus aliquam creaturam? Nihil enim nobis potest inferre incommodi, nisi ipse annuerit: non annuet, nisi id nobis possit esse vtile ad vitam æternam. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, vt ait Apost. ad Rom. 8. Perinde, cur non liberrimè feramus id quod ipse vult nos ferre? hac cogitatione armatus B. Franciscus Xaverius, securus stabat inter gladios & fremitus Barbarorum. Ad eandem fiduciam excitat nos Dominus Matth. 6. v. 25. vsque ad finem. & Luc. 12. v. 6. *Nonne quinque passeris veniunt dipondio, & vnus ex illis non est in obliuione coram Deo? sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos.* Ad timorè quoque & fiduciam ex consideratione potentie diuinæ pulcherrimè nos excitat Psal. 32. *Exultate iusti in Domino. rectos decet collaudatio.* & cetera quæ sequuntur vsque ad finem.

C A.

CAPVT IV.

Recollectio precatória, de Omnipotentia.

15 **O** Adorandam, tremendam, & religioso silentio venerandam omnipotentiam tuam, Domine Rex sæculorum, qui omnia per te potes, quidquid possunt omnes creaturæ tuæ; à quo omnis potentia, omnis vis, omnis energia rerum omnium est instituta & dependens, qui omnia ex nihilo solo verbo condidisti, & condita eodem substantifico influxu conseruas, ex omnipotentia tuæ manu ea veluti suspensa tenens, ne in suum nihilum relabantur; coram quo totus mundus est instar pilæ modicæ, & omnes Gentes instar stillæ roris antelucani. Qui reipsa potes efficere & præstare, non solum quidquid omnes homines & Angeli animo concipere, sed etiam quidquid sapientia tua infinita potest excogitare: par enim est potentia tua sapientia tuæ, & æquè latè se extendunt & diffundunt; cum hæc sola sit illius regula & mensura. quam enim aliam habeat mensuram potestas immensa, nisi immensam? hæc non minùs ea tenes & possides quæ non sunt actu in esse producta, quàm quæ esse & speciem exterius acceperunt. Delitescunt enim in thesauris potentia & sapientia tuæ, & ad minimum nutù tuum in esse foras prosiliunt, & dicunt, Adsumus ad obsequiù tuum. Non indiges laudibus & obsequiis nostris: si enim velis, infiniti tibi mox suppetent famuli, qui incomparabiliter te melius colant, & omni laude celebrent.

Ad Heb. 1, 3

Isa. 40, 12.

Sap. 11, 23.

Lucæ 1, 37.

Baruch 3, 34

16 Invere animo meo profundissimam reuerentiã & humilitatem in consideratione tantæ potentia tuæ: tu enim de me & de omni creatura tua potes disponere & statuere pro arbitrio tuo; nec quisquam tibi potest dicere, Cur sic facis? tua enim sunt omnia, & opera manuum tuarum. Semper te mihi præsentem cogitem, & extenta manu omnipotentia tuæ, æternæ damnationis fulmen minitantem, si sanctissima Leges tuas violauero. Ad te etiã fiduciam & securitatem cordi meo in te, vt neminem timeam præter te, nec vlla creatura me à charitate tua abstrahere valeat. Quid enim sunt cetera omnia coram te, aut quid mihi absque tuo nutu possunt nocere? Quòd si ab aliquo me affligi permiseris, hoc ipsum mihi in salutem vertas, & ad æternam vitam cooperari facias. Amen.